

Hymnus. O gloriōsa Virginum.

V. Corōna āurea super caput ejus. **R.** Expressa signo sanctitātis, glōriæ et honoris.

Ad Bened. Añā. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generatōnibus meis implēmini : spiritus enim meus super mel dulcis, et herēditas mea super mel et favum.

Oratio.

Deus, qui beatissimam Virginem Mariam, omnium Sanctōrum Reginam, et Matrem pulchræ dilectiōnis, nos venerari tribuisti : concede propitius, ut ipsa protegēte, te in omnibus et super omnia diligamus in terris, et Sanctōrum tuorum felici consōrtio perfruamur in cœlis. Per Dōminum.

Et non fit Commem. Oct.

AD TERTIAM.

Capitulum. Ego diligētes. *ut in Laudibus.*

R. br. Glōria et honorē, * Coronasti eam Dōmine. Glōria et. **V.** Et constituisti eam super ōpera mānuum tuarum. Coronasti. Glōria Patri. Glōria et honorē.

V. Stola jucunditātis induit eam Dōminus. **R.** Et coronam pulchritūdinis posuit super caput ejus.

AD SEXTAM.

Capitulum. *Prov. 8.*

Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Dōmino.

R. br. Stola jucunditātis, * Induit eam Dōminus. Stola. **V.** Et coronam pulchritūdinis posuit super caput ejus. Induit. Glōria Patri. Stola.

V. Posuisti Dōmine super caput ejus. **R.** Coronam de lapide pretioso.

AD NONAM.

Capitulum. *Eccli. 24.*

Qui audit me, non confundetur, et qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

R. br. Posuisti Dōmine, * Super caput ejus. Posuisti. **V.** Coronam de lapide pretioso. Super. Glōria Patri. Posuisti.

V. Ora pro nobis Mater pulchræ dilectiōnis. **R.** Ut digni efficiāmur promissionibus Christi.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter sequentia.

V. Ora pro nobis Mater pulchræ dilectiōnis. **R.** Ut digni efficiāmur promissionibus Christi.

Ad Magnificat, Añā. O beata Virgo Maria : tu veniæ vena, tu grātiæ et pulchræ dilectiōnis Mater, tu spes mundi et cœli Regina exaudi filios tuos clamantes ad te.

Commem. sequentis.

DIE I. JUNII.

Die iij. infra Octavam

S. Ferdinandi.

Semiduplex.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De Sermōne sancti Joānis Chrysostomi.

LECTIO IB.

De S. Philog. ante med.



D hanc beatam requiem transiit beatus Ferdinandus. Quenam igitur oratio par sit viri laudibus, quem Deus tam felici sorte dignatus est? Non est ulla. Sed age, dic mihi num idcirco silēbimus? et cujus rei grātia convēnimus? An dicemus nos haud posse magnitudinem gestōrum oratione consequi? Atqui ob hoc ipsum necesse est dicere, quandoquidem hæc est præcipua laudum illius pars, quod factis verba æquiparari non possint. Nam quorum benefacta naturam etiam superant mortalem,

perspicuum est, quod horum laudes excēdunt linguam humanam. Haud tamen ob id aspernabitur officium nostrum, quod pro viribus præstamus, sed suum imitabitur Dōminum : siquidem et ille viduæ duos tantum obolos deiciens in gazophilacium, non tantum duorum obolorum mercēdem, sed multo amplius reddidit. **R.** Levate.

LECTIO V.

Proinde quamvis nostræ facultates exiguæ sint, minimique pretii, attamen, quæ possumus, offerimus. Ea licet non respondeant magnitudini meritōrum animæ præclari justique Ferdinandi, tamen hoc ipsum celsitudinis illius maximum fuerit argumentum, quod nec pusilla repellant, sed idem faciat quod solent divites. Siquidem illi, cum accēperint a tenuibus exigua, quibus non egent, sua vicissim apponunt, remunerantes eos, qui quod poterant, obtulerint. Itidem et hic cum accēperit a nobis laudem verbis peractam, qua nequaquam eget, redonabit nobis per ipsa facta benedictionem, qua semper uti possimus.

R. Cum audisset.

Lectio vij.

Unde igitur laudationem illius auspiciabimur? An a magistratu, quem spiritus illi tradidit gratia? Nam mundani magistratus nequaquam possunt Christianorum demonstrare virtutes, quin potius frequenter habent accusationem malitiae. Quam ob causam? quoniam et sollicitudines amicorum et circumcurrationes et adulationes aliaque permulta his foediora talis magistratus solent conciliare. Ceterum ubi Deus suo suffragio designarit, aliquem incorruptum suffragium, alienum ab omni suspitione iudicium, indubitata fuerit delicti comprobatio, propter ejus, qui deligit, auctoritatem. **R.** Jericho.

In III. Nocturno.
Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio viij. Cap. 12.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.
Homilia sancti Petri Chrysostogi. **Ex Serm. 22.**

Raemia statuuntur iis semper, quibus certamina dura proponuntur: ac pro

magnitudine certaminis, praemii proponitur magnitudo. Hinc est quod discipulis suis Christus regnum ponit in praemio, ut in certamine non cedant periculis, non timori. Pericula despicit, qui tendit ad regnum; victoriae cupidus nescit timere. Nolite timere, inquit, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Grex pusillus mundo, magnus Deo: pusillus, quia gloriosos vocat eos, quos instituit ad omnium innocentiam et mansuetudinem christianam.

R. Congregavit omnes.

Lectio viij.

Adjecit quid facendum sit regnaturis: Vendite quae possidetis. Non potest dominari omnibus, nisi is qui propriis non tenetur. Dejecta mentis est, qui familiaris rei meminit, cum vocatur ad regnum: jacens animus plebeius nummulum thesauris regalibus antepōnit. Pauper sensus parvis incubans perdit magna: et inhians temporalibus deserit sempiterna. Homo, tali monitu Christum te ditare voluit, non nudare: manere tibi tua voluit, non perire: perpetuari, non vacuari sacculos im-

peravit: jussit te transferre, non perdere.

R. Manet invictus.

Lectio ix.

Plus consilio patris agit, quam jure dominantis. Inter insidias latronum et tinearum morsus quare tua recondas, objurgat: pervigiles noctes, dies anxios, sollicita tempora ne tibi ipse facias, commoneris. Auri custos, servator argenti, securitatem non habet, nescit quietem: et cui deest securitas, quies perit: poena dives est ille, non censu. Thesaurum non deficientem in caelo: hoc est dicere: Ubi ego sum, ibi ponite: date mihi, ego servo. Homo, da Patri, crede Deo: quia et heredi Pater, et Deus homini creditum non negabit: tenere tua non potest, qui sua dedit. **T**e Deum.

In Vesp. fit Commem. **SS. Marcellini etc. Mart. ut in Breviario.**

EADEM DIE I. JUNII. S. Peregrini Latiosi Confessoris. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. praeter sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

Deus, qui beato Peregrino Angelum comitem, magistram Deipa-

ram, Jesum tetri ulceris medicum mire dedisti: da per merita ipsius, obsecramus; ut sanctum Angelum, Virginem, Salvatorem singulariter et amemus in terris, et colaudemus in caelis. Per eundem Dominum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Foregrinus, Forolivi ex nobili Latiosorum familia ortus, sanctissimae Virgini Deiparae devotus, quadam die in ecclesia cathedrali ante illius imaginem diutius orans, et petens, ut vias suas dirigeret, eam pretiosis vestibus indutam, sibi, ut ad Servos suos se conferret, praecipientem audivit. Quare adolescens Angelo comite Senas profectus, Priori Servorum visionem mandatumque Virginis exposuit, ac recipi humiliter postulavit. In receptione splendore quodam caelesti, quo futura sanctitas ejus praemonstrabatur, caput illius circumfulsit. Triginta annos natus, Forolivium remissus, ubi diu laboribus, vigiliis, jejuniis, orationibus exercitavit vitam duxit. Nunquam (mirandum) per annos tri-

ginta sedere visus : at si quando somno, aut lassitudine victus stare non posset, saxo pro sede utebatur. Nunquam in lecto, neque infirmus decubuit, noctes fere omnes insomnes in orationibus et piis meditationibus ducere solitus. Nulla die conscientiae examine et sacramentali confessione praetermissis, peccata lacrymis etiam exterioribus deflebat.

R. Honestum fecit.

Lectio v.

Admirabili fuit patientia. Nam cum crus ex cancri morbo intumisset, atque putredine adeo esset infectum, ut foetorem omnibus inferret, sic tamen absque omni querimonia semper fuit, ut cives illum alterum Job appellarent. Cum autem crus illud medicorum consilio amputandum esset, Peregrinus nocte praecedente, solus ex loco, in quo jacebat, surgens, et reptans, ut poterat, in capitulum venit, ibique ante Crucifixi imaginem (quae adhuc manet, et magnam habet apud Forolivienses venerationem) vehementius orans, et obdormiens, Christum de cruce descendentem et crus tangentem vidit. Experge-

factus, ita crus sanatum sensit, ac si nunquam tumidum, ulceratum, putredumve fuisset. Medici vero mane, ut crus secarent, advenientes, cum illud sanum vidissent, stupore affecti, domum, tanto miraculo per urbem divulgato, regressi sunt.

R. Amavit eum.

Lectio vi.

Peregrinus piis laboribus ac aetate confectus (erat enim octogenarius) brevi febre correptus, Kalendis Maii, anno salutis millesimo trecentesimo quadragésimo quinto migravit ad Christum. Ejus animam, beato Philippo ordinis Servorum beatae Mariae Virginis, qui, ut ipse religionem ingrederetur, dux fuerat, et beato Francisco Senensi ejusdem ordinis, comitantibus a Virginibus in coelum deferri visam, memoriae proditum est. Multa post mortem miracula sanctitatem ipsius declararunt. In quibus caecus, Peregrino manum ex fetetro oculis illius admovente, lumen recepit. Mulier etiam multis obsessa daemonibus ad sacrum corpus ipsius perducta liberata est. Quidam ex arbore proceram in terram delapsus, Pere-

grini nomine invocato, sine ulla laesione repertus fuit. Ad cuius tumulum Kalendis Maii non tantum civitas Foroliviensis, sed finitimi populi quotannis ad illum venerandum confluere, vota quoque ei nuncupare solent Paulus quintus summus Pontifex, anno millesimo sexcentesimo nono, concessit, ut Officium divinum in toto Servorum ordine recitari posset. Benedictus vero decimus tertius, anno reparatae salutis millesimo septingentesimo vigesimo sexto, eum inter sanctos Coelites ritu solenni recepit. **R.** Iste homo.

In iij. Nocturno, Homilia. Pusillum gregem. de Communi ij. loco.

In Vesp. fit Commem. Octavae et simplicis.

DIE II. JUNII.

Die iv. infra Octavam

S. Ferdinandi.

Semiduplex.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De Sermone sancti Joannis Chrysostomi.

Lectio iv.

De S. Philogonio.

Quantum autem sit pietatis argumentum, quod Deus illum tanto magistratu

dignum judicavit, audi. Christus excitatus a morte, quid dicit Petro? Postquam enim illum interrogasset : Petre, amas me? isque respondisset : Tu, Domine, scis quod amote; dicit illi : Si diligis me, pasce oves meas. Hoc autem dicebat, non solum ut nobis certissime declararet, quanto opere ipsum diligeret Petrus, verum etiam ut palam faceret, quantam haberet benevolentiam erga suas oves. Itaque si quis voluerit illi commendatus esse, curam habeat ovium illius, publicam quaerat utilitatem, fratrum suorum salutem prospiciat. **R.** Levate.

Lectio v.

Ullum enim officium hoc Deo carius est, et ob id alicubi dicit : Simon, Simon, expetivit te satanas, ut cribraret te tamquam triticum, sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Quid igitur hujus sollicitudinis curaeque praemium mihi rependis? Eandem curam quam nobis impendit, respicit. Nam et tu, inquit, aliquando conversus confirma fratres tuos. Neque prorsus alia res est, quae perinde declaret doceatque quis sit fidelis et amans Christi, quam si

fratrum curam agat, proque illorum salute gerat sollicitudinem. **R.** Cum audisset.

Lectio vij.

HÆC omnes audiant et monachi, qui montium occuparunt cacumina, quique modis omnibus se ipsos mundo crucifixerunt, quo pro viribus Ecclesiarum praefectos adjuvent, horumque curas leniant precibus, concordia, caritate: scientes, quod nisi modis omnibus opitulentur iis, qui tot periculis obiciuntur per gratiam Dei totque negotiorum curas sustinent, quibuscumque possunt rationibus auxiliantur, quamquam procul habitantes et victus sors ipsis perisset, et tota in scopulum impigisset sapientia.

R. Jericho clausa.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia sancti Petri Chrysologi. **Ex Serm. 23.**

Audistis hodie, quem admodum Dominus pastoralibus júbilo clangorem tubæ

coelestis adjunxit, ut diu inclinatas ovium mentes ad divina tolleret, coeleste proutinus promoveret ad regnum. Acquisivit humilitas, superbia quod amisit: et grex pusillus ac mitis totas et varias edomuit propria mansuetudine feritates: pusillus grex vicit, ac fregit tot genera bestiarum, quod diversitates subdidit jugo Christi nationum.

R. Congregabit.

Lectio viij.

GRex pusillus ac mitis diu contentus occidi, diu devorari passus est, donec gentilis saevitia sanguine satiata, vel carnibus evangelici pabuli suavitatem et divini fontis fluentia degustans, totum contagium sæculi evitaret et pastum, atque in hominem rediret ex bestia, qui ex homine fuerat dilapsus in bestiam. Hoc sensisse ante Prophetas, hoc Apostolos implese, hoc pertulisse Martyres constat, attestante illo qui dicit: Propter te mortificamur tota die, aestimati sumus ut oves occisionis. Ut vero iste grex novi ordinis aggregeretur praelium ubi vivit ille qui fuit occisus: imitatus est suum Regem, illum secutus est Agnum,

qui sicut ovis ad occisionem ductus est.

R. Manet invictus.

Lectio ix. de SS. Marcellino etc. ex duabus una, ut in Breviario, et fit Commem. eorum in Laud.

DIE III. JUNII.

Die v. infra Octavam

S. Ferdinandi.

Semiduplex.

In j. Nocturno, **Lectio- nes de Scriptura occurren- te.**

In ij. Nocturno, **Lectio- nes. Deridetur justi. de Comm. Conf. non Pont. ij. loco.**

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia sancti Petri Chrysologi.

Ex Sermone 23.

SED audiamus jam, quid pusillo gregi talis promiserit pastor: Nolite timere, inquit, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. O bonitas effusa! O inaudita pietas! O ineffabilis affectio! In societate census pastor

oves assumit, atque ad consortium dominationis servos dominus asciscit: ad principatum regni rex gregem populi totius admittit. Sic, sic dat, cui deficere census, cui regnum minui, vacuari potestas non potest largiendo.

R. Congregavit omnes.

Lectio viij.

ECce qui dat, dare lonesquitur Patrem. Numquid largitatem suam denegat, sic dicendo? Absit: non potestatem minuit sed pandit affectum: sic dicendo, non distantiam facit, sed Patris suamque voluntatem monstrat, firmat unitatem. Quod autem dixit: Complacuit, et non dixit: Placuit, munus edocet Trinitatis: quia quod erga nos Filio placuit, hoc complacuit Trinitati.

R. Manet invictus.

Lectio ix.

Post tantam ergo Dominus largitatem, post suam gratiam tibi copiosius collatam, abjecta et vilia peculia servitutis jubet abjicere regnaturum: Vendite quae possidetis, et date eleemosynam. Plebium cultum regia non admittit potestas: augustus honor non nisi diademate confertur

et púrpura. Abjicere ergo debet hábitum servitútis, qui se regem credit divínus consecrátum. Est consuetúdinis, est ánimi felícis, ut ascítus ad regnum, quod fuit próprium, quod privátum, mox paréntibus, mox propínquis, civibus indigéntibus liberáliter prorogáret, ne sit mendicus ánimo, qui censu functus est honóre.

Te Deum.

Vesperæ de sequenti.
Commemoratio Octavæ.

DIE VI. JUNII.

Octava

S. Ferdinandi.

Duplex.

Omnia ut in die Festi, præter Lectiones sequentes.


In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Lectio ib.

Serm. 2. de S. Victore.

 Audéte in Dómino, dilectíssimi, qui inter continua suæ pietátis benefícia indúlsit hóminem mundo, cujus multi salvaréntur exémplo. Iterum dico, gaudéte, quod factus de médio appropriávit Deo, ut multo plures ejus in-

tercessióne salvéntur. In terris visus est, ut esset exémplo; in cœlum levátus est, ut sit patrocínio. Hic infórmát ad vitam, illic invitat ad glóriam. Factus est mediátor ad regnum, qui fuit incitátor ad opus. Bonus mediátor, qui sibi jam póstulans nihil, totum in nos transférre desiderat, et supplicántis afféctum, et supplicatiónis fructum. Quid enim quærat sibi, qui nullius eget?

℟. Leváte signum.

Lectio v.

HÆC dies gloriósæ migratiónis ejus, dies lætitiæ cordis ejus : exultémus et lætémur in ea. Introívit in poténtias Dómini, gaudeámus : quia nunc poténtior est ad salvándum. Hódie Ferdinándus, pósito corpore, tanto aláciior quanto expeditior penetrávit in Sancta, similis factus in glória Sanctórum. Hódie despecto mundo et mundi príncipe triumpháto, supra mundum vere victor ascéndit, accípiens de manu Dómini coronam victóriæ. Ascéndit autem cum imménsa supelléctili meritórum, clarus triúmphis, miráculis gloriósus. Sedet veteránus miles, débita jam suavitate et

securitate quiétus : securus quidem sibi, sed nostri sollicitus. O venerándam étiam ipsis Angelis sanctitátem, quam pari stúdio, etsi dispari voluntáte, et mali fúgitant, et frequentant boni! Nec fáci- le dixerim, quid virum ástruat sanctiorem, horum favor, aut pavor illórum.

℟. Cum audisset.

Lectio vi.

O Miles emérite, qui cristiánæ militiæ duris labóribus angélicæ felicitátis réquiem commutásti! respice ad imbélles et imbecilles commilitónes tuos, qui inter hostiles gládios et spiritáles nequitias tuis laudibus occupámur. Quam pium, quam dulce, quam suáve, o Ferdinándé, in hoc loco afflictiónis, et in hoc corpore mortis te cánere, te cólere, te precári! Nomen tuum et memoriále tuum, favus distillans in lábiis captivórum, mel et lac sub lingua eórum, qui tui memória delectántur. Eia ergo, fortis athléta, dulcis patróne, advocáte fidélis, exsúrge in adjutórium nobis; ut et nos de nostra ereptióne gaudeámus, et tu de plena victória glóriéris.

℟. Jéricho clausa.

In iij. Nocturno, Homilia ut in die Festi.

DIE XII. JUNII.

S. Joannis a S. Fa-

cundo

Confessoris. Duplex.

Omnia ut in Breviario Romano sub hac die.

Sed in Diocesisibus Burgensi, Legionensi, et Salmantina, Duplex ij. classis sine Octava, et Lectiones j. Nocturni. Justus si morte. de Communi Conf. non Pontificis, j. loco.

DIE XVI. JUNII.

S. Joannis Francisci Regis

Confessoris. Semiduplex.

Omnia ut in fine Brev.

DIE XVIII. JUNII.

SS. Martyrum Cyriaci et Paulæ Virginis.

Duplex pro regnis Castellæ et Legionis.

In Diocesi Malac. Duplex j. classis cum Octava.

Omnia de Comm. plur. Mart. præter sequentia.

Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus : ut familia tua, quæ sanctórum Mártýrum tuórum Cyriaci et Paulæ triúmphis glóriátur, fiat in Christi tui amore fervéntior; et quos patrónos venerátur in terris, pios apud te

intercessóres habére mereátur in cœlis. Per eúdem Dóminum.

Commem. SS. MM. Marci et Marcelliani.

Aña. Vestri capilli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passeribus meliôres estis vos.

V. Exsultábunt sancti in glória. **R.** Lætabúntur in cubilibus suis.

Oratio.

Præsta quæsumus omnípotens Deus : ut qui sanctórum Mártyrum tuórum Marci et Marcelliani natalítia cólimus ; a cunctis malis imminéntibus, eórum intercessiónibus liberémur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Diœcesi Malac. Fratres, Debitóres, de eodem Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

QUO témpore immanis illa Diocletiani et Maximiani persecutiónis rábies in Christi quæque membra furens desæviit, tanta Mártyrum exstitit laureáta multitúdo, quo durávit decénno, ut intra unum mensem decem et septem millia Christianórum martyrii palmam sint consecúti. Tunc Hispania nostra

strénuis Christi militibus abúndat, fulget Bætica Sanctórum confessiõe præclára, cárceres et ergástula repléntur Mártyrum turmis, tribunália Christi confessiõe résonant, respuúntur idóla, sánguinem sacrum hómines Deo digni vitæ pródigii fundunt. Aspiceres tunc Hispali Rufinam et Justam cum Diogeniáno pugnáre : Cæsaraugústæ Enkrátidem nobilibus sóciis stipátam crudéli Daciáno cervices lætissime trádere : innumerábilium Mártyrum córpora illius jussu ibidem igne cremári : Valérium aliósque sacros Antístites dira pati, et exsuláre : Toléti Leocádiám custódia deténtam occumbere : Complúti tenellos Pastórem et Justum, tabéllis litteráriis in schola abjéctis, sponte Daciánum adire, mortem oppétere, jugulúmque carnifici exsultantes offerre : Córdubæ Acisclum et Victóriam fratres de Dióne triumpháre : Malacæ quoque Cyriacum et Paulam ánimos pro Christo libentissime dare : álios dénique álibi dira supplicia, et mortem pati : quod longum nimis esset enarráre.

R. Sancti tui.

Lectio v.

Præclarissimi ergo athlétæ Christi Cyriacus et Paula virgo Malacæ pagáno júdici sistúntur, cui suæ fidei ratióne dant : pro qua étiam tuénda, innúmera suppliciórum cruciaménta perpéssi sunt. Et cum ab ea nullátenus dimovéri possent, impius judex vitam illis adimere tentans, lapidibus impeti mandat. Mártyres sacri læti próperant ad pugnam, animósi lápides excipiunt, saxis sacra córpora tundúntur, lapidibus óbruti occumbunt. Et inter ipsa crepitántia saxa ánimas cœlo reddiderunt circa trecentésimum salutis annum, décimo quarto Kaléndas Júlii : sacróque Mártyrum ságuine nobilissimæ Malacitána civitas est purpuráta ; quæ post sexcentos septuaginta annos a pérfidis Mahumétanis posséssa, in Christianórum ditióne rédiit décima nona die Augústi, anno Dómini millésimo quadringentésimo octogésimo séptimo, Cathólicis Ferdinándo et Elisabéthá regnántibus, qui ipsa die nobilissimam capiéntes civitátem ovántes sunt ingressi.

R. Vérbera.

Lectio vi.

CUM autem præfati reges Mahuméti spurcitiam ab urbe Malacæ expéllunt, lætántes pro parta victória grátias repéndunt Deo, ac Innocéntium octávum, Petri cathedram tunc moderántem, victóriæ adéptæ cónsocium faciunt. Quibus pro capta victória fidéque ad domicilium antiqum restitúta, lætus Románus Póntifex rescribit, certos faciens Cathólicos príncipes, Malacitánam urbem sanctórum Cyriaci et Paulæ martyrii sacrátam : quodque Protomártyri Stéphano lapidibus óbruti fuérunt símiles. Quare sacri Mártyres in tuteláres et patrónos ab incolis sunt ascíti, sacro illórum nómini templo structo. In quorum célestri festo clerus senátusque solémni et frequénti cœtu ad sacram ipsórum ædem conveniéntes, sanctórum Mártyrum pretiosissimæ in conspéctu Dómini mortis memóriam festivis gáudiis quotánnis celebrant.

R. Tamquam.

In iij. Nocturno, Homilia. Dóminus ac Redemptor. de Communi.

Lectio ix. de SS. MM. Marco et Marcelliano, et eorum Commem. in Laud.

Aña. Istórum est enim regnum cœlórum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in ságuine Agni.

¶ **L**ætámini in Dómino, et exsultáte justi. **R.** Et gloriámini omnes recti corde.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commemor. præced. et simplicis.

DIE V. JULII.
S. Michaelis
de Sanctis, Conf.

Duplex.
Omnia ut in fine Breviarii, eadem die.

DIE VII. JULII.
S. Firmini

Episcopi et Martyris.
Duplex.
In regno Navarræ,
Duplex j. classis cum Octava.

Omnia de Communi unius Martyris, præter sequentia.

Oratio.
Deus, qui per fidei præcónium et passiónis agónem beátum Firmínium Episcopum et Mártirem immortalitátis láurea coronásti : concéde propitiús, ut cujus celebrámus triúmphum asse-

quámur et præmium. Per Dóminum.

Commém. præcedentis.
In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.
In regno Navarræ, Lect. A Miléto. de eodem Comuni.

In II. Nocturno.

Leectio ib.



Irminus Pampelónæ nobilibus paréntibus, Firmo et Eugénia natus, una cum illis a beáto Saturnino Episcopo Tolosáno baptizatus est, a quo et honésto Presbytero, ut christiána religióne imbuerétur, tráditus, tantum in ea profécit, ut regiónes circumquáque evangélicis documéntis, et vitæ sanctitaté illustráret. Episcopus Pampelónénsis creátus, terrénis facultátibus in páuperes erogátis, ad munus apostólicum se accingens, cum intelligeret per universam Gálliam inférisævam Christiánis persecutióne, Pampelóna discédens, multas Galliárum urbes perlustrávit, atque ab idolórum cultu innúmeram multitudínem Agenénsium et Andegavénsium ad Christi fidem convertit, Dómino ejus doctrínam multis miraculis confirmánte
R. Honéstum

Leectio v.

Inde Bellóvacum petens, cum pro exstirpánda idololatriæ superstitióne plurimum laboráret, a Valério præside comprehensus et flagéllisusque ad necem cæsus, in cárcerem conjéctus est. Sérgio autem Valerii successóri reservátus, eo loco inédiam, et squalórem diu patienter tulit : sed vi a pópulo liberátus, in ea civitaté diútius prædicávit. Ecclésiám in honórem Protomártiris Stéphaní, aliásque nonnullas constrúxit. Inde Ambianum perrexit, ubi quadraginta diérum spátio, multis éditis miraculis, tria hóminum millia ad Christi fidem convertit sacróque baptismate ábluit. Porro Sebastiánus et Longínus præsides, cum certo scirent, Firmini prædicatióne multas suæ provinciæ urbes, idolis contéptis, Christum cólere, Tréviris Ambianum quam celérrime advenérunt : et Firminum grávitèr objurgátum, quod contra imperiália edicta novam religióne induceret, in cárcerem detrudunt. At pópuli seditióne vériti, intempéstæ noctis siléntio eum capite plecti jussérunt, séptimo Kaléndas Octóbris.
R. Desidérium.

Leectio vij.

Ejus corpus Faustiniá nus senátor, qui ab ipso Firmino fuérat lavácto baptismatis regenerátus, clam sepelivit. Quod ibi látuit usque ad Theodoricum regem : quo tēpore Sálvius, venerábilis Ambianénsium Antistes, assiduis précibus a Deo impetrávit (ingéni super sepulcri locum lúmine radiánte, et ex eódem suavissimo odóre ad vicina usque oppida fragrante) sancti Mártiris reliquias sibi revelári. In quarum translatióne elementa étiam ipsa visa sunt ei obséquam præstitisse. Nam Idibus Januárii, cum hiems esset hórrida, súbito omnes regiónis árbores flóribus, et fóliis viréntibus vestitæ, prata liliis ac rosis plena ómnibus aridebant. Dénique multi ægróti et infirmi ob mérita sancti Firmini illa die integram sanitatem recuperárun.

R. Stola jucunditátis.
In iij. Nocturno, Homil. Ipse Dóminus Jesus. ut in Brev., die x. Augusti, cum RR. de Communi unius Martyris.
Vesperæ de sequenti, Commém. præcedentis.

— ❖ —

DIE VIII. JULII.
S. Elisabeth
Reginæ Portugalliæ.
 Duplex ij. cl. cum Octava.
 Omnia ut in Breviario Romano.

DIE XI. JULII.
 Die iv. infra Octavam
S. Elisabeth.
 Semiduplex.
 Commemor. præced. et
 S. Pii Papæ et Mart. in
 j. Vesperis et Laudibus.

In II. Nocturno.
 Sermo sancti Augustini
 Episcopi.

Lectio iv.

Serm. 45. de divers. cap. 1.

Quæstabit nobis, qui diem istum commendavit in Sanctis suis, ut infirmitas vocis nostræ sufficiat intentioni vestræ. Et hoc quod gestamus in manibus, Scriptura scilicet quam videtis, commendat nobis inquirendam et laudandam mulierem quamdam, habentem magnum virum, eum qui invenit perditam, ornavit inventam. Attendite cujus membra estis, inspicite cujus filii estis. Mulierem fortem quis inveniet? Difficile est invenire eam, imo difficile est nescire eam. Nonne ipsa est civitas in monte, quæ abscondi non potest? Quare ergo dictum

est, Quis inveniet? cum dici debuerit, Quis non inveniet? Sed tu civitatem in monte positam vides: ut autem in monte poneretur, inventa est quæ perierat.

R. Audi, filia.

Lectio v.

Quando illustrata est, quis eam non videt? Quando latebat, quis eam inveniret? Ipsa enim civitas est una illa ovis, quam perditam quaesivit ille pastor, et inventam gaudens in humeris reportavit. Ipse pastor mons est: ovis autem in humeris ejus, civitas in monte. Facile est ut videas eam collocatam in monte: quando eam invenires, cum latebat in vepribus, in spinis utique delictorum suorum? Ibi enim quaesisse magnum est, ibi invenisse mirabile est. Hæc ejus difficilis inventio commendatur, cum dicit: Mulierem fortem quis inveniet? Quis enim, quia unus: non quia nec unus.

R. Manum suam.

Lectio vi. Cap. 3.

Pretiosior est autem lapidibus pretiosis, quæ ejusmodi est. Quid magnum, quia pretiosior est mulier hæc lapidibus pretiosissimis. Pretiosi la-

pides ideo dicti sunt, quia caritate valent. Jam ille vilis est, pretium perdidit, qui non habet caritatem. Doctrinam suam jactet licet, linguam suam jactet licet, audiat aestimatorem verorum lapidum matronæ hujus: audiat, inquam, quemdam artificem ornamentum hujus inspectorem. Si linguis hominum loquar, inquit, et Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Jam non fulget, sed tinnit. Ergo discite lapides aestimare, negotiatores regni cœlorum: nullus lapis nobis placeat, præter hujus mulieris ornamentum.

R. Regnum mundi.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. Et reliqua.

Homilia sancti Hieronymi Presbyteri.

Lib. 2. in Matth. cap. 13.

Hesaurus iste, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, aut Deus Verbum est,

qui in carne Christi videtur absconditus; aut sanctæ Scripturæ, in quibus reposita est notitia Salvatoris: quem cum quis in eis invenerit, debet omnia istius mundi emolumenta contemnere, ut illum possit habere quem reperit. Quod autem sequitur: Quem cum invenerit homo, abscondit, idcirco dicitur, non quod hoc de invidia faciat, sed quod timore servantis, et nolentis perdere abscondat in corde suo, quem pristinis prætulit facultatibus.

R. Os suum.

Lectio viij.

Aliis verbis idipsum, quod supra dicitur, bonæ margaritæ, quas quaerit institor, lex et Prophetæ sunt. Unum autem est pretiosissimum margaritum, scientia Salvatoris et sacramentum passionis illius, et resurrectionis arcænum. Quod cum invenerit homo negotiator, similis Pauli Apostoli, omnia legis Prophetarumque mysteria, et observationes pristinas, in quibus inculpate vixerat, quasi purgamenta contemnit et quisquilias, ut Christum lucrifaciat. Non quod inventio novæ margaritæ condemnatio sit veterum

margaritarum; sed quod comparatione ejus omnis alia gemma vilior sit.

R. Invocavi.

Lectio ix. de S. Pio I. Papa et Martyre, cujus Commemoratio in Laudibus.

Vesperæ de sequenti, Commem. præcedentis.

DIE XV. JULII.

Octava

S. Elisabeth.

Duplex.

Omnia ut in die Festi, præter Lectiones j. Nocturni, quæ dicuntur de Scriptura occurrente, et Lectiones ij. et iij. Nocturni, ut infra.

In j. Vesperis fit Commemoratio præcedentis.

In II. Nocturno.

De Sermone sancti Augustini Episcopi.

Lectio ib.

Serm. 45. de diversis, cap. 12.

Duplicia pallia fecit viro suo. Jam acclamatis, credo, quod agnoscitis quæ sunt duplicia pallia. Laudes sunt, laudes fidei, laudes confessionis, laudes prædicationis. Quare duplicia? Christum laudas, Deum laudas et hominem. Dupliciter lauda: simpliciter lauda. Dupliciter, quia homo est, et

Deus; simpliciter, ut non sis fictus. Confitere Deum, confitere hominem, lauda Deum in homine, lauda hominem in Deo. Texit pretiosissimum illud pallium laudis: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Texit et aliud pallium, propter conversationem inter homines quotidianam: Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.

R. Audi filia.

Lectio v. Cap. 16.

Hic ergo ista laboriosa, vigilans, sollicita, severe castigans domum suam, surgens de noctibus, intuens lucernam ne extinguatur, in tribulatione fortis, nondum receptis promissis pavens, brachia sua in fenum confirmans non pigrum panem manducans. Ob labores istos quasi paupertatis, et necessitatis secularis, quid erit quia in diebus novissimis lætata est? Quid erit? Audite: propter quam spes ardeat lucerna nostra tota nocte, nunc audite. Surrexerunt filii ejus, et ditati sunt. Modo in paupertate vivimus, in paupertate vivimus: et cum

morimur, in paupertate dormimus: sed surgemus, et ditabimur. Quæ illæ divitiæ sunt Angelorum? Unam vestem habent lucis: nunquam teritur, nunquam sordidatur. Si filius es mulieris hujus, attende quando tibi divitiæ promittantur. Surrexerunt filii ejus, et ditati sunt, parati resurrectionis divitiæ accipere. Noli has amare, ut merearis ad illas venire.

R. Manum.

Lectio vij.

Cap. 17. et 18.

Et vir ejus laudavit eam. Multæ, inquit, filiæ fecerunt potentiam. Laudes sunt, quibus eam laudat vir ejus. Quæ filiæ, quibus hæc comparatur? Non comparatur. Tu autem superasti. Attendite, rogo vos, jam in fine lectionis sumus. Multæ filiæ fecerunt potentias, multæ locutæ sunt linguis, sciunt omnia sacramenta, fecerunt virtutes multas, dæmonia excluderunt, res suas pauperibus distribuunt, corpora sua ignibus tradiderunt: inflatæ sunt, quia caritatem non habuerunt. Tu autem superasti et superposuisti omnes, non solum flore, sed et fructu grævida abundans. Date illi de

fructibus manuum suarum. Quid date? Venite benedicti Patris mei. De quibus fructibus manuum ejus? Esurivi enim, et dedisti mihi manducare. Et quod illi deinde negotium erit, finitis laboribus? Et laudetur in portis vir ejus. Ipse erit portus laborum nostrorum, videre Deum, laudare Deum.

R. Regnum mundi.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro. Et reliqua.

De Homilia sancti Augustini Episcopi.

Unde supra, quæst. 16.

De Deo omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera. Utrum ista conclusione exponere voluit, quem dixerit thesaurum in agro absconditum? Quoniam sanctæ Scripturæ intelliguntur, quæ nomine duorum Testamentorum novi et veteris concluduntur, quem admodum apud alium Evangelistam gladium bis

acutum tali conclusione videtur exponere.

R. Os suum.

Lectio viij.

AN quia in parabolis ista locutus est; et cum quaesisset ab eis utrum intellexissent, responderunt se intellexisse? Fortasse ista similitudine ultima patrisfamilias proferentis de thesauro suo nova et vetera, ostendere voluit eum doctum habendum esse in Ecclesia, qui etiam Scripturas veteres parabolis explicatas intellexit, ab istis novis accipiens regulas: quia et ista Dominus per parabolis enuntiavit, quamvis ipse Christus esset finis illorum, id est, ut in eo illa vetera complerentur. **R.** Invocavi.

Lectio ix.

UT si ipse, in quo illa complentur, et manifestantur, per parabolis adhuc loquitur, donec ejus passio velum discindat, ut nihil sit occultum quod non reveletur: multo magis illa, quae ad commendandam tantam ejus salutem tam longe de illo scripta sunt, parabolis operata esse novimus: quae cum Judaei ad litteram acciperent, noluerunt esse docti in regno caelorum, neque transire

ad Christum, ut auferretur velamen quod supra cor eorum positum est.

Te Deum laudamus.

Vesperae de sequenti, Commem. praecedentis.

DIE XVI. JULII.

In Triumpho

S. Crucis.

Duplex majus.

Omnia ut in fine Breviarii, eadem die.

DIE XIX. JULII.

SS. Justae

et Ruffinae sororum Virginum et Martyrum.

Duplex ij. classis.

Extra Diocesim Hispal.

Duplex.

Omnia de Communi Virg. et Mart. praeter sequentia.

IN I VESPERIS.

Hymnus.

SAlvete, clarae Virgines,

Tutela praesens patriae,
Virtutis et constantiae
Exemplar admirabile.

Non vos chalybs rigentibus

Dum nectit artus annulis,
Nec laminis candentibus
Catasta terret ignea.

Nec confragosa rupium
Calcata nudis plantulis
Fregere vos dispendia,
Sed hinc fides fit acrior.

Deinde victo saeculo,
Caeli subistis atria,

Ruffina fuso sanguine,
Et Justa digna nomine.

Rosisque purpurantibus
Confessionis inclytæ
Intexuistis candida
Integritatis lilia.

Ergo triumpho nobilis
Sacris revinctæ laureis,
Palmas refertis duplices,
Agnum sequentes prævium.

Te dux, corona Martyrum,

Cum Patre, Christo, et
Spiritu,

In Trinitate simplici

Æterna laudent saecula.

Amen.

In utrisque Vesperis ad Magnificat et ad Benedictus in Laudibus.

V. Adducuntur Regi Virgines post eam. **R.** Proxima ejus afferuntur tibi.

Añ. Prudentes Virgines aptate vestras lampades: ecce sponsus venit, exite obviam ei.

Oratio.

DEus, qui virtutem tuam in vasis fictilibus etiam fragilis sexus recondens, sanctis Virgibus et Martyribus tuis Justae et Ruffinae mirabilem fidei constantiam tribuisti: da nobis earum patrocinii in tui amore perseverare, et ad caelestem coronam pervenire. Per Dominum.

Commem. praecedentis.

AD MATUTINUM.

Hymnus.

Quid saeve tortor unguis

Judexque fractis Virginum

Plus quam virilis indolis
Miraris indolentiam?

Virtutis hoc altissimae

Agnosce munus, perfide,

Firmissimam constantiam

Qui debili dat sexui.

Saevire in actus fictiles

Mercesque earum testes,
Sed non potestis conditas

In his faces extinguere.

Quas ardor almi luminis

Accendit, et dulcissimus

Sponsus cadentes excipit

Christus, bravium Martyrum.

Et nunc precantur sedule

Pro gente Patrem et Filium,

Et Spiritum Paraclitum,

Qui regnat omne in saeculum.

Amen.

In j. Nocturno, Lect. De virginibus. de Communi.

Ubi vero fiet ritu duplici minori, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio ib.

Ex S. Isidoro, et Brev. Hispaniae.

Usta et Ruffina, sorores Hispalenses, virgines castissimae, facultatibus pau-

peres, sed virtutibus locupletes cum Diocletianus in Christianos saeviret, fictilium mercimonio sese alebant, et tenuitate egenos sustentabant. Religiose itaque, et in magna concordia domus suae curam gerentes, vitam inculpatam transigebant. Accidit autem statuto quodam die Hispani Adonia celebrari. In quo festo mulierculae quaedam cum solitis ejulatibus et clamoribus Salambonae simulacrum (sic Venerem Syri vocant) in pompa circumferabant, et ab omnibus passim in ejus daemonis cultum aliquid erogari efflagitabant. Quae cum obiter a sanctis sororibus stipem postularent, nec quidquam extorquerent, una ex eis, quae idolum bajulabant, omnes fictilium merces indignabunda confrégit. Sed sanctae virgines non frivola rei detrimento commotae, sed religionis zelo succensae, nefarium simulacrum a se dejecerunt, quod terrae illisum et comminutum, fictile etiam se probavit.

R. Propter veritatem.

Lectio v.

R. E autem ad Diogenianum provinciae praesidem delata, quasi

impietatis reas capi et ad se adduci jubet. Quae cum coram eo consisterent, de religione interrogatae, se Christi famulas et pro ejus nomine mori paratas esse intrépide responderunt. Admoventur ergo varia et horribilia cruciatus instrumenta, ac virgines hilares et Christum invocantes, aequaleo suspensae ferreis unguibus exarantur. Sed cum in fidei confessione constantes, fessis etiam tortoribus, persistenter, in carcerem tradi, et inde aliquot post dies extrahi jubentur, ut se longo itinere in loca ad montes Marianossita (quo sibi juris dicendi causa eundem erat) sequerentur, existimans ejus itineris difficultate earum constantiam vinci posse. Sed divina virtute imbecilli sexui vires suggerente, rupium et montium praerupta et aspera nudis pedibus magna animorum alacritate superarunt, et incolumi fide Hispanim redierunt: ubi cum saevissimis iterum cruciatus earum fides frustrata est. Quorum immanitate et diuturno carceris situ et fame Justa enecta, Deo spiritum redens, ad duplicem coronam evolavit. **R.** Dilexisti.

Lectio vj.

R. Uffina vero ad alia certamina sanctissimae sorori superstes, praesidis jussu in arenam producta (ut sanctus Isidorus refert) ferocissimo leoni objecta est. Qui quasi virtutem caelestem agnosceret, illasam eam et intactam reliquit. Reducta ergo in carcerem, fractis a lictore cervicibus, gloriosum martyrium in vinculis consummavit. Cujus corpus a carnificibus in eandem arenam tractum combustum est. Ossa autem a Sabino Hispanensi Episcopo collecta, et in suburbano coemeterio honorifice sepulta sunt cum sororis Justae corpore, quod e profundo puteo, in quem jussu Diogeniani praecipitatum fuerat, idem sanctus Episcopus extraxit.

R. Afferentur.

In iij. Nocturno. Homil. Saepe vos, fratres. de Communi.

AD LAUDES.

Hymnus.

A. Deste, sacrae Virgines, Quas cura fecit pervigil Sponso vocante ad nuptias Claras referre lampades. Jam nigra noctis orbita Ad mane clarum vertitur:

Vincant timores turbidos
Aeterna lucis gaudia.
Aperita vobis janua,
Sponsus vocat, succedite,
Sparsasque nostris flētibus
Offerite palmas nobiles.
Offerite fusum sanguinem
Christo immolatae victimae,
Quo Martyres sanctissimae
Vestram beastis Hispanim.
Ut ipse nostrae Ecclesiae
Preces benignus audiat,
Et donet indulgentiam
Vestris rogatus civibus.
Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri cum Filio,
Et Spiritu Paraclito,
In saeculorum saecula.

Amen.

DIE XX. JULII.

S. Liberatae

Virg. et Mart. Patronae
Ecclesiae et Diocesis
Segunt. Duplex j. classis
cum Octava.

Alibi, Duplex ij. classis.
Omnia de Comm. Virg.

Mart. praeter sequentia.

In j. Vesperis, ad Magnificat, Añā. Gloriosum sanctae Liberatae triumphum solemniter celebramus, quae in cruce pendens infernum vicit, et tyrannorum tormenta superavit, alleluia.

Oratio.

B. Eatae Liberatae Virginis et Martyris tuae, quaesumus Domine,

præcibus et méritis adjuvémur : ut quæ pro tui nóminis confessiõne et pudicitia defensiõne in cruce pepéndit, ab inimicõrum insidiis sua nos protectiõne defendat. Per Dóminum.

Et fit Comm. præced.
In j. Noct. Lect. Confite-
de Communij loco.

In II. Nocturno.

Lectio ib.

Lucius Catéllius Severus præses Galæciæ et Lusitaniæ, et ejus terræ régulus, idolõrum cultor, ex Calsia cõnjuge, eidem falsæ religiõni dedita, uno partu (ut multarum in Hispania Ecclesiãrum fert traditio) novem edidit filias. Quæ cum existimaret hoc posse contra eam aliquam violatõni tori et intemperantis vitæ excitare suspiciõnem, obstetrici severe indixit, ut occulte illam tot filiarum turbam in flumen projiceret. Illa vero concilium detestata, in proximum vicum progressa novem puellas totidem nutricibus alendas tradidit, a quibus sacro fonte lustratæ, Genivéra, Wilgefórtis seu Liberata, Victória, Eumélia, Germána, Gemma, Mártia, Basilissa, ac Quitéria nuncupatæ, totas se Deo

conceptæ virginitatis voto consecrarunt.

R. Propter veritatem.

Lectio v.

Interea dira persecutiõ christiãnum nomen urgébat, et ad Balchãgiam Catélli sedem progressa (quæ hodie dicitur Bayõna Tudensis), cultõres idolõrum impulit, ut virgines sacras comprehenderent, et Catéllio patri sisterent puniendas. Qui de genere et religiõne sciscitatus, Christiãnas et filias suas esse cognovit. Cum autem omnia illis régia liberalitate promitteret, omniaque supplicia júdicis severitate minaretur, ut eas a stúdio christiãnæ religiõnis abduceret, et maternæ preces et lácrymæ his omnibus accederent, nihilominus sacrae virgines omnes in ea, quam suscéperant, fide constãntes permanserunt.

R. Dilexisti justitiam.

Lectio vij.

Cum autem pater nil proficeret, et in filiarum cædem raperetur furõre, illæ tametsi martyrii cupidæ, patris tamen grave peccatum vitare cupientes, ab ejus statuenda sese potestate subducere. Quod fecere non simul omnes, sed seorsum

aliæ alio dilapsæ, ubi varii locis martyrium subierunt. Wilgefórtis vero, seu Liberata, cum aliis Christiãnis in eremum secessit, ubi asperrime vivens silvestri cibo semel ad vespèram quotidie reficiebatur; donec comprehensa iterum ab impiis idolõrum cultõribus, ad sacrilegum idolõrum cultum et impudicitiam fuit instigata : illa vero, nec sorõrum nece percúsa, nec minis aut cruciatibus deterrita, tortõribus se læta obtulit. Et post varia tormentõrum gênera, in Lusitania ad Castraleuca, pro fide et pudicitia decertans, in cruce meruit martyrii palmam adipisci, circa annum Dómini centésimum trigésimum nonum : cujus corpus in amplissimo templo Seguntino honorifice conditum, summa colitur religiõne, et populõrum frequentia. *R.* Afferentur.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis parabola hanc : Simile est regnum cælõrum thesauro abscondito in agro. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi. *Homil. 48.*
super Matth. cap. 13.

Sicut granum sinapis et fermentum, sic duæ parabolæ istæ thesauro atque margaritæ parum inter se differunt. Illud enim ambabus his denotatur, quoniam oporteat prædicationem Evangelii omnibus ceteris antepone, et illis quidem (fermenti dico atque sinapis) magna Evangelii virtus ostendebatur, quæ omnino totum orbem terrarum erat superatura : hæ vero posteriores summi esse pretii significant. Sicut enim sinapis extenditur, sic quasi margarita pretiosissimum est, ac infinitas exhibet commoditates ut thesaurus.

R. Hæc est Virgo.

Lectio viij.

Nec illud solum dictum, quia cetera abjicienda sunt omnia, et sola prædicatio Evangelii retinenda; verum etiam magno id esse cum gaudio faciendum. Sane qui renuntiationem honorum facit, is nullam jacturam, sed quaestuosissimam facit mercaturam. Perpendis quomodo in mundo abscondita atque celata prædicatio est, et in prædicatione summa felicitas re-